Ioannis Seldeni Liber de Nummis

A szt. Ferenczrend szt. István első vértanúról nevezett budapest-margitkörúti zárdájának pecsétje

Librae fuerunt Latina, Attica, Graeca, Latinam ex duodecim unciis, Atticam ex septuaginta quinque drachmis faciunt Priscianus in Libro de Nummis, et Rhemnius Fannius in Carmine de ponderibus: Hancque Mnan appellari a Graecis, Minam a Latinis. Libram Graecam, quam Euboicam vocat Herodotus, et centum drachmis constituit idem Fannius. Unciam ex octo drachmis. Drachmam ex tribus Scripulis: Scripulum ex sex Siliquis, vel ex quatuor Lupinis. Sed octo lentes Scripulum constituere falsum est apud ipsum Fannium. Quoniam Semen Lupini est ponderis sex Lenticularum. Itaque recte scripsit M. Iunius Nypsus in Libro de mensuris Scripulum esse ex octo granis ciceris: Una Semen Lupini, et duo grana ciceris aequalia sunt in pondere: Idem Iunnius non recte tradit Siliquam continere tria hordea. Nam

Siliqua

Siliqua continet quatuor Hordea, quia aequale pondus videmus Lenticulae, et Hordei. Ergo Scripulum fuit ex quatuor hordeis: Uncia ex quingentis Septuaginta sex. Libra Latina, quam Italicam Prisciannus nominat, ex sex Millibus nongentis duodecim. Libra Attica ex quinque Millibus quadringentis. Libra Graeca ex Septem Millibus ducentis.
Ita Libra Latina Atticam excedit Sextante Semuncia, et drachma, et drachma minor fuit, quam Graeca, Semuncia. Nummi potissimum in Aere, in Argento, et in auro fuere. Aereum taxari ex pondere, argenteum potestatem habere ex Numero aenei Scribit Volusius Metianus. Aureus vero distribuitur in argenteis. Romani nummi fuere.

Et Aere.

As Librae pondus teste Varrone.
Triens Tertia pars Assis ex quatuor Unciis:
Quadrans quarta pars ex tribus unciis: propterea a Plinio alio Nomine dicitur.

Triunciis! Nota assis fuit ex altera parte Janus Geminus, ex altera Rostrum navis. In Triente, et Quadrante erant rates. Dipondium bilibrem referunt Varro, Plinius, et Priscianus. Grave aes ex denis Assibus constituit Sex. Pompeius.

Primo autem Bello Punico cum Respub. impensis non Sufficeret, ait Plinius constitutum, ut Asses

Sextantario

Sextantario pondere ferirentur, quinque partium facto lucro. Postea Anibale urgente Asses unciales facti L. Fabio Maximo, Dict. Mox semunciales Lege Papyriana. Hinc AS secundus sextantarii ponderis. Sextans appellatur a Varrone: et Asses semunciales videntur a Sex: Pompeio vocari. Breves nummos ex aere, et Triens Papyrianus ex quatuor scripulis. Sextula nuncupatur a Varrone.

Ex Argento.

Nummum Romae primo conflatum a Servio Rege refert Carrisius Grammaticus. Signatum Plinio credimus a L. Fabio Cons. quinque annis ante Bellum primum Punicum. a figura caelatur ę dicti fuere. Bigati et quadrigati ut asserit Pompeius: a numero autem aeneae monetae, cuius precium tenebant, Sestertii, Quinarii, Denarii. Itaque et Varro, et Volusius, et Priscianus scribunt denarium quod denos aeris valeret. Quinarium, quod quinos: Sestertium, quasi semis tertium: nummum scilicet duarum semissis librarum: et tunc Libellam Volusius tradit Sestertii decimam partem: et Teruncium quadrigesimam partem. Verum quando Anibale urgente Asses facti fuere unciales, teste Plinio placuit Sestertium permutari quaternis Assibus, Quinarium octonis, Denarium sexdecim. Inde Denarium notam XVI perscriptam tradit Volusius.

Victoriatus

Victoriatus Nummus peregrinus, ut idem ait, et Illyrico advectus Lege Clodia Romae percussus, et Victoria signatus, tantundem valet quantum Quinarius. Sed Nummi nomen commune fuisse Sestertii, Denarii, Cicero, et Plinius indicant. Nam ille modo quinque Millia Sestertia dicit Scandilium adnumerasse Apronio jussu Verris. Plinius vero venisse murem ducenis nummis Casilinum obsidente Anibale tradit, quos ducentos Denarios appellaverat Valerius Maximus. Quare cum Asinius Celer mullum piscem mercatus fuerit septem, vel octo Millibus Nummûm (hoc Plinius, illud tradit Macrobius.) incertum est, sint ne Sestertii, an Denarii.

Ex Auro.

Nummum post annos sexaginta duos percussum, quam argenteus fuerit asserit Plinius, ita ut Scripulum valeret Sestertiis vicenis: quod efficit in Libra ratione Sestertii, qui tunc erant, Sestertios Nongentos.

Aureus itaque Nummus percussus est anno Urbis DXLII. Anibale urgente, quando Asses unciales facti: quando placuit Sestertium Assibus permutari.

Sed si Scripulum auri valeret Sestertiis vicenis, ut scriptum est apud Plinium, Scripula viginti quatuor, quae sunt in uncia, efficerent in Libra termille et septingentos sexaginta Sestertios. Scripulum vero precii duodecim semissis Assium efficit in Libra Sestertios Nongentos, ut Librarii pro XIIS. scripserunt XXLLS.

Post haec

Post haec inquit Plinius, placuit quadraginta millia signari ex auri Libra. Tu vero Debes habes aureum Nummum C. Julii Caesaris Ter. Dict. ponderis sex Scripulorum, et quatuor Siliquarum: qui nummus percussus fuerit Anno Urbis DCCVI, quando Scipione, Afranio & Juba victis, Libertate omnino sublata, ipse Caesar tertio constitutus fuit Dictator, sed in decennium, et ei Eligendorum Magistratuum auctoritas populi at. tributa. Habes etiam nummos aliorum Principum, et Domitiani ad quem Libros Historiae Navalis misit Plinius, ponderis paulatim imminuti. Sed ex pondere tui Caesariani, colligimus potuisse ex auri Libra signari hujusce modi nummos quadraginta tres, supere existente etiam Scripulo, et duabus Siliquis. Idem Numerus fortasse fuit apud Plinium, facili lapsu ex XL.III. in XLM.

In Graecia Julius Pollux refert Numos.

Ex Aere.

Chalcon Octavam partem Oboli:

Dischalcon ex duobus Chalcis:

Pentechalchon ex quinque.

Sed Obolo nihil minus Athenis dixit Fannius: erat Scripulus, ut retulit Priscianus ex Dardano. Pollux autem constituens Drachmam ex sex Obolis, ostendit Obolum fuisse Semiscripulum: nominatque semiobolum ex quatuor Chalcis: et a Numero antiquos nummos Diobolum, Triobolum, et Tetrobolum, qui

insculptam haberet Jovis faciem in altera parte, in altera duas Noctuas: Sicut Trioboli nota fuit Jovis facies in utraque parte Dioboli autem Noctua.

Ex Argento.

Drachmam Fannius fecit ex tribus Scripulis: Pollux ex sex Obolis: a Prisciano nuncupatur Argenteus, et est Drachma Attica. Nam Drachmam Aegineam, quam Athenienses magnam dixere, decem Obolis habuisse testatur idem Pollux. Qui et Didrachmam nominat, cujusmodi Siciliens est apud Fannium, et Priscianum, et apud eundem Pollucem. Bos ex Bove insculpto Athemensis vel Deliacus nummus. Praeterea ipse nominat Tridrachmam Tetradrachmam: et Cyrensium Pentadrachmam, et Pentecontadrachmam. Numisma Plutarchus constituit ex centum Drachmis, scribens Tigranem Seminumisma dedisse singulis Militibus Pompeji quas Appianus dixit quinquaginta Drachmas

Ex Auro.

Chyrus, auctore Polemarcho, fuit ex pondere Didrachmae. Quare Semichrysus, quem nominat Alexandrides fuit ex pondere Drachmae. Statera fecisse Minam Graecam, id est centum Drachmas ajt Pollux et alios Stateras refert. Dareicos, Phillipeios, Alexandreos, Corinthiacos etiam ex decem Obolis: Semistateram quoq;, et Tetrastateram Cyrene.

Sed facile

Sed facile nummos antiquos redigimus ad pecu-
niam nostri aeris, ubi ostenderimus Aurum decuplo
praestantius fuisse argento: Denarium continuisse
Drachmam, et Scripulum. Drachmam Romae permu-
tatam decem Assibus: Drachmam fuisse ponderis
nostri Scuti.

Aurum decuplo praestantius Argento docet Pollux
ex auctoritate Menandri, qui quod talentum auri appella-
verat non dixerit decatalentum: et docet Livius, qui
refert Senatum de mille talentis, quae M. Fulvius No-
bilior Aetholis iusserat dare Populo Romano nihil
mutasse, nisi; si pro argento aurum dare mallent. Pro
argenteis decem dare aurum unum. Denarium con-
tinuisse Drachmam, et Scripulum ostendit pondus
Denariorum antiquorum, et indicat Priscianus ex Sep-
tuaginta duobus Denariis constituens nonaginta Sex
Drachmas: Et ex Septuaginta duabus Siliquis con-
stituens tres Denarios vel quatuor Drachmas.
Livius etiam Tetradrachmam scribit fuisse ponde"
ris trium Denariorum. At cum Plinius Drachmam
Atticam Denarii pondus habere dicat: Et cum
Aulus Gellius Myrias Drachmas, quas poscebat
Lais, interpretetur Denariorum decem millia: In-
tellexere de Denario decussi: Ut omnino corrupte
legatur apud eundem Plinium tertiam partem Minae
adaequare pondus triginta novem Denariorum.
Nam tertia pars minae Atticae adaequat pondus
viginti quinque Denariorum, qui sunt decusses.

At Mina

Ex Minae Graecae tertia pars totidem item Denariorum pondus adaequat, qui essent ex sexdecim Assibus. Drachmam Romae permutatam decem Assibus dicitur ex Plutarcho, quindecim millibus Assibus aestimante mille quingentas Drachmas.

Drachma est ponderis septuaginta duorum seminis Hordei: hoc est ex tribus Scripulis. Ejusdem ponderis est noster Nummus aureus, quem Scutum appellamus: Et qui permutatur quadrigentis viginti quatrenis Venetiis, qui constituunt septuaginta Solidos singulos ex sex quatrenis. Ex hujusmodi autem viginti Solidis facimus Libram. Nam in hac adaequatione sumpsimus quatrenos Venetos communes omnibus Italis.

Igitur ex adaequato pondere Drachmae, et Scuti, et ex Auro decuplo praestantiore argenteo, Drachma decima pars Scuti valeret septem Solidis: nisi antiqui Nummi aurei in bonitate auri, duabus fere ex viginti quatuor partibus, quos aurifices appellant Characteres, praestarent auro nostri Scuti, quod in bonitate est Characterum viginti duorum tantum. Illi enim antiqui Nummi sunt ex auro puro, & Obryzo, ex fluminum ramentis, et arugia quaesito quod statim aurum est: vel quod in metallis repertum, et igne perfectum, recoctum profecerit ad bonitatem: Cujusmodi auri sunt etiam Ducati Ungarici

Ungarici potissimum. Si autem adaequemus aurum nostri Scuti ad bonitatem Obryzi: et nummis antiquis recte constituemus pretium nostro aeve: Et aestimare poterimus omne illud aurum, cui insit argentum, vel dena, vel nona, vel octava, vel alia parte. Aurum vero Scuti adaequemus cum Obryzo, si unamque, et decem, et octo partibus ipsius Scuti, quas non Siliquas, aurifices autem Characteres, sed in pondere dicunt, fingamus esse precii viginti sex quatrenorum, et Semis: Sicut sunt Singulae partes Ducati ponderis Drachmae, et Siliquae. Tunc enim Scutus valeret quatrenis quadringentis Septuaginta septem. Hac itaque ratione Drachma decima pars Scuti in bonitate Obryzi permutatur octo Solidis, minus tribus et denis partibus quatreni: Obolus sexta pars Drachmae octo quatrenis minus una et viginti partibus quatreni: Chalcus octava pars Oboli quatreno fere. Argenteum Numisma ex centum Drachmis conficeret undecim Scutos, Libram, et Solidos viginti quinque, et Drachma Romae decem Assibus permutata. Assis decima pars Drachmae adaequaret quatrenos quatuor, et Septuaginta septem centenas partes quatreni: Triens quatrenum, et quinquaginta novem Centenas partes: Quadrans quatrenum, et decem novem centenas partes.

Denarius.

Denarius ex Drachma, et Scripulo fuisset ex Sexagin-
ta tribus Quatrenis, et Semis ex decem partibus alterius,
si Librae Attica, et Latina aequales fuissent. Sed cum
Latina Atticam excedat Sextante Semuncia, et Drach-
ma hoc est, mille quingentis duodecim hordeis: Hāc
dividuntur in Septuaginta quinque Drachmis Librae
Atticae, ita, unamquamque Drachmam in Libra Latina
efficiunt viginti Hordeis, et paulo plus majorem,
quam sit in Attica Quae Hordea in una quaque
Drachma constituunt quatrenos undecim et quintam
partem alterius. Inde dicimus Denarium ea
ratione fuisse ex duodecim Solidis, duobus qua-
trenis, et quatuor quinariis partibus Quatreni:
Quinarium ex sex Solidis, quatreno, et duabus
quinariis partibus: Sestertium ex Solidis trib.
et Septemis ex decem partibus Quatreni. Quomodo
Quadrans est, quasi Sexta decima pars Sestertii,
ut Volusius ait. Item Libra Auri efficiens Sester-
tios nongentos fuisset ex Scutis Quadraginta So-
lidis Sexdecim, Quatrenis quatuor. Nummos vero
aureos quadraginta tres in Libra, et Solidis de-
cem, et Septem. Chrysus ex pondere Didrachmae
conficit duos Scutos, et decem novos Solidos:
Stater undecim Scutos, Libram, et Solidos quinque.
Dareicus est pretii Chryzi. Nam Xenophon talen-
tum auri ex tricenis Dareicis dixisse. Philippeus
quem habebat Iacobus Sadoletus cardinalis optimus
et doctissimus, fuit ponderis trium Drachmarum, to-

ridemq.

totidemque Siliquarum, hoc est trium Ducatorum. 6
Alexandreum concisum ejusdem ponderis poene apud se esse testatur Henricus Glareanus.
Statera Corinthiacum ex decem Obolis facimus ex tresdecim Solidis, Quatreno, et Semis. At Euthymius refert Statera a B. Petro inventum in ore piscis, fuisse ex quatuor Drachmis, hoc est ex Libra, Solidis undecim, quatrenis quatuor, et quatuor quinariis partibus alterius. Alium Staterum fecit D. Hieronymus ex viginti Obolis, duplicatum scilicet Corinthiacum.
Galli, Germani, Brittanni, Flandri, et Hispani hos ipsos nummos poterunt metiri precio aeris, quod in usu habent, ex ejus adaequatione a nobis facta cum Denario Romano, quem diximus conficere in Gallia Solidos sex, Denarios duos Turinenses, et quatuor quinarias partes alterius. In Germania communiter quindecim Cruciatos, minus vigesima quinta parte unius. In Brittannia ~~—~~ Solidos quinque Sterlinorum, Denarios novem Turonenses, et quatuor quinarias partes alterius: in Flandria Sex Stuiveros, et paulo plus Denariis octo Turonensibus: In Hispania Maravilios fere sexaginta. S. quam adaequationem fecimus, quia Denarius Turonensis est pretii nostri Quatrenum: ex Turonensibus denariis duodecim est Solidus item Turonensis; Ex quinque in Germania communiter est Cruciatus: ex tresdecim in Brittannia Solidus Sterlinorum:

ex undecim

et undecim, et paulo plus in *Flandria* Stauros.
Maravilius est precii nostri quatrem, et paulo post Septimae partis alterius: Quoniam realis est ex triginta quatuor Maravilis: et Ducatus permutatur undecim Realibus. Denarius autem *Turonensibus* partitur in quatuor pictis, cujusmodi apud majores nostros fuere Bagari: et ex quadraginta Solidis *Turonensibus* fit Scutus, qui cognominatur a Sole, et ex duobus Cruciatis fit *Carolenus*, ex *Sex Grossus* *Argentinensis* ex Octuaginta Coronatus. Centum vero octuaginta Solidi Sterlinorum conficiunt Libram precii quinque Scutorum. Staurus tandem partitur in quatuor hordeis; et triginta octo Stauris Scutus permutatur.

Talentum

Olim fuisse minimi precii indicat *Homerus* apud quem quarto loco datur praemium in equorum certamine. Fuit ex tribus Chrysis ut bajs *Pollux*. postea ita auctum ut a *Fannio* dicatur nihil *Athenis* — *Obolove minus, majusve Talento*. Nomen ipse indicat fuisse pondus:

In Aere

Eiudem pondus Centum viginti quinque Assium Libralium. Nam *Dionysius* duo millia hujusce Assium constituere ait Sexdecim Talenta in

ta in

Talenta in pondere aeris. A Phavorino dicitur esse sex millibus Quadrantibus, sex scilicet Scrupulorum singulis. Nam tot ejusmodi Quadrantes constituunt centum viginti quinque Libras aeris: ad quot Talentum redactum fuisse etiam tradit Epiphanius in Libro de mensuris.

In Argento.

Talenta alia omnia fuere, nisi quae Talenta auri vocantur: ex quibus diximus unum dari pro decem argenteis. Ex Talentis Atticum parvum a Fannio, et a Polluce dicitur ex sex millibus Drachmis, vel ex sexaginta Minis Graecis. Seneca controversia trigesima quarta, quam Priscianus appellat Librum decimum Epistolarum ad Novatum, in hoc Talento collocat viginti quatuor sestertia; quae ipso Prisciano interprete, sunt sexaginta Librae ex primo sestertio duarum semissis Librarum. Qua ratione et Pellinis tresdecim talenta, quibus emptus fuit Bucephalus, aeris Romani summam esse dixit trecentum duodecim sestertium. Ut omnino legamus corrupte apud Plinium hoc Talentum taxari sexdecim sestertiis. Ex quatuor millibus quingentis Denariis, hoc est ex sex millibus Drachmis. Sex Pompeius item fuisse ait Cistophorum, et Talentum Rhodium

Sed Atti

Sed Atticum magnum ex centum Minis Atticis, idest ex septem millibus quingentis Drachmis fecit Priscianus: quas tamen Minas dixit esse Libras Romanas octoginta tres, et semunciam; cum recta computatione sunt septuaginta octo Librae Romanae, et semuncia. Sed Cn: Manlius hoc Talentum Antiocho non minus pondo octoginta Romanis ponderibus decrevit, ut ajt Livius. Quod cum Sex. Pompeius Talentum Atticum retulit sex millium Denariorum: quod Priscianus quandoque Atticum magnum, et quae Pellius dixit tria Talenta Attica nummi Romani fuisse sestertia duo, et septuaginta millia, non Atticum, sed Achaicum Talentum apud eos Auctores legendum puto. Achaicum enim Talentum ex sex millibus Denariis fuisse videmus ex Polybio, ut ajt Livius tradente Achaeis centum Talentis stetisse redemptionem mille ducentorum Civium Romanor: cum quingentos Denarios precium in Capite, quod rederetz Dominis, statuissent. Et hujusce modi tria Talenta, ex decem, et octo millibus Denariis constituunt sestertia duo, et septuaginta millia, quae dixit Pellius. Tria autem Talenta Attica parva sunt ex quinquaginta quatuor Millibus sestertiis: Et tria magna ex sexaginta sex millibus septingentis tantum.

Euboicum

Euboicum Talentum nominat Polybius in pace Scipionis cum Carthaginensibus: Romano nummo quatuor millium denariorum relatum a Pompeio. Aeginaeum majus aliis Talentis Graecis ait Pollux, ex decem millibus Drachmis Atticis, quot scribit Appianus Tygranem dedisse singulis Tribunis, qui erant in Exercitu Pompeii, quodque Plutarchus nominat Talentum: quale poscebat Lais vel Myrias Drachmas:

Babylonicum Pollux recenset ex septem millibus Drachmis, hoc est septuaginta Minis Graecis, vel Euboicis, ut appellat Herodotus explicans hoc ipsum Talentum.

Quod et Romanum fuisse ostendit Servius ex auctoritate, ut ait, Plauti, apud quem, cum quidam dixisset debere centum quadraginta Libras, paulo post intulit, Talenta tot quot ego, et tu sumus. Erat itaque ex quinque millibus ducenis quinquaginta Denariis.

Aegyptiacum pondo octoginta capere Varro tradit: quae sunt septem millia, et sexcentae octoginta Drachmae. Syriacum nominat Pollux ex mille quingentis Drachmis: Siculum antiquum ex viginti quatuor nummis: Siculum posterius ex duodecim.

Et Pompeius

Et Pompeius Alexandrinum recenset ex duodecim Denariis, Neapolitanum ex sex, Syracusanum ex tribus, Rheginum ex Victoriato.

Collapsa Republica alii Nummi fuere sub Imperatoribus: Et Lampridius nominat Semisses, Tremisses, Quartarios, Senarios, Dilibres, et Centenarios. Iunius Nypsus hos nummos posteriores redegit

Ad Libram viginti Solidorum.

Ad Solidum ex duodecim Denariis.

Ad Denarium vigesimam partem unciae.

Libram in aere, in Argento, in Auro etiam ostendunt Imperatores Constantinus, Gratianus, Valentinianus, Theodosius, Arcadius, et Honorius. Sed Arcadius et Honorius Libram aeris vigesimam quintam partem solidi tradunt esse. Libram Argenti Arcadius ipse, Theodosius item Valentinianus dividunt in sexaginta Argenteos nummos: Libram auri in septuaginta duos Solidos Obryziacos: Arcadius vero, et Honorius in viginti quinque solidos. Dion autem aureum Nummum distribuit in viginti quinque Denarios.

Itaque ex pretio nostri Aeris excurrentis redacto ad antiquam pecuniam eo modo, quem retulimus sunt,

p.^e Denarius Arg.

1. Denarius Argenteus Nypsi — Solidi III, quatrem II, et fere tres ex sedecim partibus Quatremi. 9

2. Libra aeris — Solidi XII, Denarii II, et paulo plus Semis.

3. Argenteus Nummus Impp. — Solidi XII, Denarii VIII, et paulo plus septem ex denis partibus Denarii.

4. Denarius aureus Nypsi — Libra, Solidi XI, Denarii fere decem.

5. Solidus argenteus Nypsi — Libra, Solidi XIIX, Denarius, et octava pars alterius.

6. Solidus Obryziacus — Scutus, Libra, Solidi XVI, et fere tres octonae partes Denarii.

7. Solidus autem Imppp. — Scuti IV, Libra, Solidi V, Denarii V, et semis fere.

8. Aureus Nummus Dionis — Scuti IV, Libra, Solidi XI, Denarii VIII.

9. Solidus aureus Nypsi — Scuti V, Libra, Solidi X, Denarii quasi X.

In antiquis autem Nummis sunt.

10. Teruncius Volusii — Novem vicenae partes quatremi.

11. Chalcus — Quatremus fere.

12. Quadrans } Quatremus, et decem novem
13. Triuncis } centenae partes.

14. Triens } Quatremus, et quinquaginta novem
15. Sextula } centenae partes.

16.

16. Libella — Quatremus, et paulo plus octo ex denis partibus.

17. Dichalcus — quatremi fere II.

18. Semiobolus — Quatrem III, paulo plus decem novem et vicenis partibus.

19. As — quatrem IV, et septuaginta septem ex centenis partibus.

20. Pentechalcus — quatremi fere V.

21. Obolus — Solidus, quatremus, et decem novem vicenae partes.

22. Dipondium — Solidus, quatremi III, et quadraginta quatuor et centenis partibus.

23. Diobulus — Solidi II, Quatrem III, et decem, et octo vicenae partes.

24. Sestertius — Solidi III, et septem denae partes quatrem.

25. Triobolus — Solidi III, quatremi V, et decem, et septem vicenae partes.

26. Tetrobolus — Solidi V, Quatremus, et sexdecim vicenae partes.

27. Quinarius } Solidi IV, Quatremus, et duae Quinarii partes.
28. Victoriatus }
29. Talentum Rheginum }

30. Grave aes. } Solidi VII, Quatrem V, et septem ex denis partibus alterius.
31. Drachma Attica }
32. Argenteus. }

33.

33. Denarius — Solidi XII, Quatrem II, et quatuor quinarie partes unius: In Gallia — Solidi VI, Denarii II Turonenses, et quatuor Quinaria partes Denarii. In Germania — Cruciati XV minus vigesima quinta parte unius.
In Brittania — Solidi V Sterlinorum, Denarii IX Turonenses, et quatuor quinaria partes Denarii.
In Flandria — Stauri VI et Denarii paulo plus VIII, Turonenses. In Hispania Maravedii fere LXV.

34. Drachma Aeginea } Solidi XIII, Quatrenus, et Semis.
35. Stater Corinthiens }

36. Drachma. } Solidi XV, Quatrem IV, et quatuor et decimis partibus Quatrem.
37. Sicilicus }
38. Bos. }

39 Tridrachma ... Libra, Solidi III, Quatrem V, et decima pars alterius.

40. Talentum Syracusanum — Libra, Solidi XVII, Quatrem II, et duae quinariae partes alterius.

41 Tetradrachma — Libra, Solidi XI, Quatrem II, et octonae et decimis partibus unius.

42. Pentadrachma — Libra, Solidi XIX, Quatrem II, et Semis.

43. Talentum Neapolitanum — Scutus, Solidi IV, Quatrem IV, et quatuor quinaria partes unius

44. Semichrysus — Scutus, Solidi IX, Quatrem III.

45 Talentum

45. Talentum in Aere — Scutus, Libra, Solidi IX, Quatrem II, et quarta pars alterius.

46. Talentum Alexandrinum — Scuti II, Solidi IX, Quatrem II, et tres quinariae partes unius.

47. Chrysus
48. Daricus } Scuti II, Solidi XIX.

49. Aureus Nummus — Scuti II, Libra, Solidi XIX.

50. Philippeus
51. Alexandrinus } Scuti III, Librae II, Solidi II.

52. Semistater
53. Pentacontadrachma } Scuti V, Librae II, Solidi II, Quatermi III.

54. Stater
55. Numisma } Scuti XI, Libra, Solidi V.

56. Talentum Siculum posterius — Scuti XXIIX, Librae III, Solidi IV.

57. Tetrastater — Scuti XLV, Libra, Solidi X.

58. Talentum Siculum antiquum — Scuti LVII, Libra, Solidi XIII.

59. Talentum Syraicum — Scuti CLXX, Libra, Solidi V.

60. Talentum Euboicum — Scuti DLXXXV, Librae II, Solidi VIII Quatrem V, et Semis.

61. Talent. Atticum parvum
62. Talent. Rhodium
63. Cistophorus } Scuti DCLXXXI, Libra, Solidi X.

64.

64. Talentum Babylonicum } Scuti DCCXCV.
65. Talentum Romanum }

66. Talentum Atticum magnum — Scuti — DCCCLI, Librae II, Solidi XV.

67. Talentum Achaicum — Scuti CMVIII, Librae II.

68. Talentum Aegine .n — Scuti MCXXXV. Librae, Solidi X.

Alexandreius	51.	Pentechalcus	20
Argenteus	32.	Philippeius	50.
Argenteus Impp.	3.	Cistophorus	68.
As	19.	Daricus	48.
Aureus	49.	Denarius	35.
Aureus Dionis	8.	Den: argent: Nypsi	1.
Bos	38.	Den: aureus Nypsi	4.
Chalcus	11.	Dichalcus	17.
Chrysus	47.	Didrachma	36.
Drachma Aeginea	34.	Diobolus	23
Drachma Attica	31.	Dipondium	22
Grave aes	30.	Sextula	15.
Libella	16.	Sicilicus	37.
Libra aeris	1.	Solid: argent Nypsi	5.
Numisma	55.	Sol: aureus Impp.	7.
Obolus	21.	Sol: aureus Nypsi	9.
Pentadrachma	42.	Sol: Obryziacus	6
Pentacontadrachma	57.	Stater	54.

De Nummis.

Stater Corinthiacus — 35.
Talentum Achaicum — 67.
Aegineum — 68.
Alexandrinum — 46.
Quadrans — 12
Quinarius — 27.
Semichrysus — 44.
Semiobolus — 18.
Semistater — 52
Sestertius — 24.
Rhegium — 29.
Rhodium — 62
Romanum — 65.
Siculum antiquum — 58
posterius — 56.
Syracusanum — 41.
Syracium — 59.
Sexuncia Volusii — 10
Atticum parvum — 61
magnum — 66.
Babilonicum — 64.
Euboicum — 60
In Aere — 45.
Neapolitanum — 43.
Tetradrachma — 40.
Tetrastater — 57.
Tetrobolus — 26.
Tridrachma — 39.
Triens — 14
Triobolus — 25.
Triuncis — 15.
Victoriatus — 28

FINIS.